



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VII. Idem (a) Bizuntino Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

permanere. Si autem id occultum fuerit, & secretum, penitentiam de commissio debet accipere, & uxori suae infra tempus penitentiae, vel extra, debitum si exegerit, solvere. Sanè si aliquam uxoris sine consanguineam, quae illam in tertio, vel alio deinceps gradu coniugat, carnali commixtione cognoverit, non est propterea inter eos sententia de vortii celebranda, sed delinquenti secundum qualitatem per-

sua, & criminis est poenitentia injungenda. Consentit Alex. III. in cap. 2. hoc titul. in t. collect. Unde rectè Basil. Legion. lib. 6. de matrim. cap. 13. num. 9. reprehendit Thomam Sanchez de matrim. disp. 15. num. 13. dum docet hoc impedimentum incestus incurri, etsi delictum occultum sit, cum hoc expressè statuerint Alex. & Urbanus in prædictis iuribus.

CAPUT VII.

Idem (a) Bizantino Archiepiscopo.

FRaternitati tuæ super (b) tribus capitulis Sedem Ap. consulenti, ad cuius consilium est in rebus dubiis à cunctis fidelibus recurrendum, scriptis præsentibus respondemus: in primo divortii sententiam approbantes, quam in eum canonicè promulgasti, qui illam sibi postea copulare præsumpsit, cujus antea sororem adhuc septennem contractis sponsalibus extraordinaria libidine nocitur (c) polluisse.

NOTÆ.

1. (a) **Bizantino**] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titul. cap. 2. De Bizantina Metropoli egi in cap. 52. de electione.
2. (b) **Tribus capitulis**.] Quæ reperiuntur in præfenti, & in cap. fraternitati, de clerico excommunicato. cap. fraternitati, de schismaticis.
3. (c) **Polluisse**.] Sed tunc obitat textus in cap. extraordinaria 35. q. 1. ubi docetur, extraordinariam pollutionem non esse impedimento nuptiis, & meritò, cum affinitas non oriatur ex copula, ubi commixtio sanguinis non intercessit, ut docue-

runt pluribus relatis Cenedo ad decret. collect. 19. Pichardus ad rit. de gradibus, n. 29. Cui difficultati respondendum est, in præfenti specie impedimentum affinitatis non oriri ex extraordinaria, idest præpostera libidine, sed ex pollutione extraordinaria, idest intempestiva, importuno congressu, cum septenni videlicet, non servato naturæ tempore debito: immò & ut verius credo, impedimentum, de quo in præfenti textu, uon provenit tam ex affinitate, quam ex publica honestate ex sponsalibus orta, juxta tradita in cap. 3. de sponsalibus, ubi docuit Cujacius, & Pichardus ubi supra, num. 31.

CAPUT VIII.

Idem (a) Episcopo Gerundensi.

EX litteris fraternitatis tuæ accepimus, quod G. lator earum matrem puellæ, quam intra nubiles annos desponsaverat in uxorem, carnaliter sæpe cognovit, & post carnali commixtione puellam traxit ad adultam. Et infra: Nos autem eidem viro poenitentiam injungi fecimus pro peccato, consultationi tuæ respondentes, quod eis ab invicem separatis, mulier alteri viro non nubat, si postquam novit viri & matris delictum, ei non erubuit committeri: vir etiam & mater mulieris nunquam debent ad alias nuptias convolare, sed semper (b) continentiam servare tenentur, & enorme defflere delictum, quod pro nefanda libidine contraxerunt, præsertim si circa personas hujusmodi de lapsu carnis minimè timeatur.

NOTÆ.

1. (a) **Gerundensi**.] In tertia collectione, sub hoc titul. cap. 3. legitur Gradensi Episcopo: sed malè, cum Gradensis Ecclesia Patriarchalis sit, & ejus Præsuli sub nomine Patriarchæ rescribatur in cap. ex litteris, de elect. Retinenda est ergo lectio Gerundensi. Gerunda autem est civitas perantiqua Hispaniæ, Provinciæ Tarracoenensis, in Catalonia Comitatu, apud Sambroca fluvii ostia, media ferè inter Perpintanum, & Barcinonem sita: hodie Girona dicta, de qua Ptolomeus, & Plinius lib. 3. capite 3. Circa

ejus conditorem non consentiunt Episcopus Gerundensis in Paralip. tit. de Urbibus ante adventum Herculis, Pujada lib. 1. Histor. Catalonia, cap. 17. Tamayus à Salazar die 17. Januarii, & 18. Martii. Hujus antiquissimæ Urbis cives fidem Catholicam acceperunt à D. Jacobo, ut probat Tamayus à Salazar tom. 5. martyrol. Hispan. die 3. Septembris; à quo tempore Ecclesia Cathedrali decorata est, cujus Præsuli Arnolde 7. hujus nominis missa est præfens Decretalis.

(b) **Continentiam servare**.] Juxta tradita supra in cap. 1. hoc titulo.

CAPUT